

Andrea Colli (University of Trento)	<b>Which science is <i>honorabilissima</i>?</b> <b>Albert the Great on the «nobility» of theology</b>	Washington DC February, 7-8th 2014
--	--	---------------------------------------

## QUAESTIO

### *Which science is honorabilissima?*

**Argumentum 1:** *Super Sententiarum*, I, dist. I, A, art. 2, ed. Borgnet, p. 16a, ll. 16-22

*Scientiae differunt nobilitate secundum differentiam et nobilitatem subiectorum, ut dicit Priscianus: cum ergo Theologia sit scientia nobilissima, ipsa erit nobilissimi subiecti: et hoc non est nisi Deus: ergo Deus est subiectum ejus.*

**Argumentum 2:** *Super Dionysii Epistulas VII*, ed. W. Kübel, p. 502, ll. 65-72

*Scientiae nobilissimae, cui et omnes aliae famulantur, est probare principia aliarum scientiarum; sed theologia est huiusmodi scientia; ergo debet probare principia; sed principia non possunt probari nisi per destructionem errorum, qui sunt contra principia, sicut facit Philosophus in iv metaphysicae; ergo theologi est non solum fundare veritatem, sed etiam arguere errores.*

**Argumentum 3:** *Summa theologiae sive scientia de mirabilis scientia dei*, l. 1, prologus, ed. D. Siedler, p. 1, ll. 18-32

*Cum enim scientiae in duobus differant, scilicet subiecti mirabilitate et honorabilitate, et demonstrationis certitudine, ut in principio de Anima dicitur, constat illam honorabilissimam esse quae de mirabilissimo et altissimo est. Haec autem theologia est, quae tota de Deo est, secundum quod per omnia opera sua attingit a fine usque ad finem fortiter, ut disponit omnia suaviter. Sic enim innotescit in omnibus. In effecti bus quidem naturae per vestigium et imaginem, in operibus autem reparationis per similitudinem gratiae, in actibus autem glorificationis sive beatificationis per consummationem gloriae. Mirabilis igitur est: et ex hoc altissima et nobilissima et honorabilissima.*

**I Contra:** *Super Ethica*, VI, 10, ed. W. Kübel, p. 460, ll. 34-52

*Dicendum, quod honorabilissima dicuntur illa ad quae quodammodo omnia alia ordinantur. Actiones autem omnes ordinantur ad contemplationem et contemplationes omnes ordinantur ad sapientialium contemplationem, quae est de substantiis separatis. Illa sunt potissima opera et quae maxime a deo remunerantur, quae ipse exercet; est autem ipse sui ipsius optimus contemplator. Et ideo praecipuum opus hominis, ad quod omnia alia reducuntur, est contemplatio substantiarum separatarum, et in hoc facit animam bene se habere sapientia. Si enim consideret alia theoremata contemplative felix sicut geometricalia, tamen considerat ea et delectatur in eis sicut in ordine ad illa, in quantum sunt quaedam semina horum, secundum quod ex primis intellectibus resultant huiusmodi contemplationes in animabus nostris. **Et ideo sapientia simpliciter est honorabilissimorum.***

**II Contra:** *De anima*, I, tr. 1, c. 2, ed. C. Stroick, pp. 3-5

*Cum autem opinemur certissime omnem scientiam esse **de numero bonorum honorabilium**, eo quod omnis scientia de se expetibilis est quae vere scientia est, tamen magis una quam altera est de numero honorabilium propter alteram duarum causarum aut propter duas causas simul. Quarum una est certitudo, quam facit de suis conclusionibus **per demonstrationes firmissimas**, quae procedunt ex primis et veris vel ex his quae per prima et vera sumpserunt fidem, sicut videmus arithmeticae et geometriae in mathematicis omnes alias excellere; altera autem est, quod meliorum est subiectorum et mirabiliorum. Meliora autem vocamus **nobiliora**, sicut **incorruptibilia** sunt meliora **corruptibilibus**, mirabiliora vero, quae altiores et **magis difficiles et remotas habent causas**; talia enim omnis sapiens miratur et inquirat, sicut in mathematicis videmus astronomiam omnes alias scientias mathematicas excellere, eo quod incorruptibilis est subiecti, cuius passionum et passionum causas omnes mirantur, ut lunae et solis eclipses. (...) Honorabile quippe est, quod propter se ipsum quaerimus, **utile autem, quod volumus propter alterum**. Adhuc autem, 'honor praemium virtutis est' et praecipue virtutis, quae hominis ut homo est, quae est contemplativa virtus, ut scientia et sapientia et intellectus et prudentia et ars, ut*

Andrea Colli (University of Trento)	<b>Which science is <i>honorabilissima</i>?</b> <b>Albert the Great on the «nobility» of theology</b>	Washington DC February, 7-8th 2014
--	--	---------------------------------------

*dicit Philosophus in vi suorum ethicorum; utile autem, quod est sicut instrumentum, quo aliquid praeter ipsum intenditur per ipsum adipisci. Cum igitur propter dictas duas causas una scientia sit super alteram aut propter alteram ipsarum, dicimus nos in prioritare dignitatis debere ponere scientiam de anima propter utramque istarum causarum. **Nobilioris enim subiecti** est quam aliqua scientia corporum et mirabilioris, quoniam omnis sapiens admirabitur de causa lucis intellectus animae et passionibus eius et qualiter est omnia quodammodo intelligibilia et quantum ad facere omnia intelligibilia et quantum ad fieri omnia intelligibilia et utrum sit separabilis omnis anima vel non. (...) Licet autem sic in prioritare dignitatis animae scientiam ponamus, tamen in ordine doctrinae inter scientias naturales non ponimus eam primam, quia ordo doctrinae non sequitur prioritatem dignitatis, sed potius ordinem rationis tenet, in quo de communioribus prior est speculatio, sicut diximus superius. (...) **Utilitas autem eius praecipua est**, quod ad omnium scibilium veritatem cognoscendam maxime proficit, et praecipue **ad notitiam veritatis rerum naturalium**, cum ipsa sit principium formale et essenziale animalium, et non nisi per notitiam animae poterunt cognosci corpora animatorum. In corporibus autem animatorum et commixtio est simplicium et ipsa simplicia, et sic ulterius scientia animae proficit ad notitiam omnium corporum naturalium. Ad veritatem autem omnium proficit praeter modum, quem diximus superius, quo videlicet apud se habet lumen, quod est omnis veritatis examen, tribus modis, non simul, sed divisis. Quorum unus est, quia proficit ad naturalem veritatem, eo quod ipsa pars nobilissima est scientiae naturalis. Alio autem modo proficit ad divinam, quia in ista scientia manifestatur **nobilior pars subiecti scientiae divinae**. Manifestatur enim in ista scientia, quod intelligentia est et quod separata est et qualiter agit intelligibilia. De quibus omnibus **primus philosophus** inquit, licet non inquirat de eis, in quantum sunt haec opera animae et partes animae. Ad quasdam autem proficit, quia dat eis **plurima principia**, sicut ad moralem, cui dat eligentiam et rationem rectam et prohaeresim et multa alia **per quae reguntur civitates in moribus**.*

### **III Contra: Metaphysica, VI, tr. 1, c. 3, ed. B. Geyer, pp. 305-306**

*Unde sicut in physicis physica sunt, in quorum diffinitione cadit natura, quae est simpliciter natura et haec est forma, eo quod omnes alii modi naturae proportionem illius naturae dicuntur natura: ita in prima philosophia omnia dicuntur divina, eo quod in diffinitione eorum cadit deus. Quia sicut inferius late prosequemur, omnia exeunt a primis principiis divinis et in ipsis sunt sicut artificiata in mente artificis. Et sicut artificiata resolvuntur ad lumen intellectus primi activi et per ipsum diffiniuntur, ita omnia resolvuntur ad lumen separatarum substantiarum, et ipsae separatae substantiae resolvuntur ad lumen intellectus dei, per quod subsistunt, et per ipsum sicut per primum principium diffiniuntur. Et haec est causa, quod **divina et theologia dicitur haec sapientia**. Oportet autem **Est autem honorabilissimum genus subiectum hoc quod est divinum honorabilissimam scientiam esse circa honorabilissimum genus subiectum**. **Divina igitur est honorabilissima scientiarum**. Sicut enim in i huius sapientiae libro probatum est, theoriae scientiae sunt desiderabiliores aliis scientiis omnibus, quae vel sunt practicae vel poeticae sive artificiales vel adminiculantes, sicut sunt logicae. Ista autem sapientia desiderabilior est inter theoricis, eo quod, sicut diximus, ipsa stat in lumine intellectus divini, quo scito nihil invenitur ultra quaerendum. Et ideo hoc est scire, quod omnes homines naturaliter desiderant. (...)*

**Dr. Andrea Colli**  
Postdoctoral research fellow  
Medieval Philosophy  
Humanities Department  
University of Trento (Italy)  
andrea.colli@unitn.it